



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

365. An Coadjutus, postquam semel consensit, possit revocare consensum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

causae, propter quas coadjutus beneficio privandus esset, veluti propter magnam ignorantiam, vel ob timorem dilapidationis, & imperitiam gubernandi, tunc posset summus Pontifex Coadjutorem invito dare, quae tamen causa concludenter probanda essent; quia Pontifex nunquam intendit juri tertii derogare, & illis non probatis gratia esset nulla.

*Quaestio 364. Num Coadjutor obtinens gratiam perinde valere ob aliquem defectum suae provisionis teneatur requirere novum consensum Coadjuti.*

**R**espondeo Non requiri in ista gratia revalidatoria novum consensum; quia praesumitur durare, cum semel fuerit praestitus, nisi contrarium probetur; tum quia, si per primum actum non satisfit menti disponentis, intelligitur de secundo. tum etiam, quia gratia revalidatoria non sit restituta nova, sed quoddam adjunctum primae. Tondut. loc. cit. c. 4. §. 4. n. 9. & 10.

*Quaestio 365. Num Coadjutus, postquam semel consensit, possit recedere a suo consensu?*

**R**espondeo absolute affirmativè Card. de Luca. de regular. d. 53. n. 16. hisce expressis; qui consensus Coadjuti praestitus, re integra, revocari potest. Neque his contradicit Tondut. dum p. 1. c. 1. §. 13. n. 17. inquit: cum semel sub praetextu infirmitatis Coadjutus petierit à summo Pontifice sibi de Coadjutore provideri, non potest deinceps infringere dictam provisionem Coadjutoris, allegando, se non esse amplius suppositum infirmitatibus. dum eadem fere repetit p. 2. c. 194. n. 15. ubi: cum Praelatus, aut alius quilibet à Papa petit, sibi dari Coadjutorem propter infirmitatem, non potest deinceps allegare, se non amplius esse infirmum, quando Coadjutor datus est perpetuus, & cum futura successione. Nam patet illum loqui, re non amplius integra, sed Coadjutorià jam completè constitutà.

*Quaestio 366. An & qualiter non subsistat consensus Coadjuti per vim & metum extortus?*

**R**espondeo consensum illum per metum injustum, & veram coactionem esse nullum. Adeoque exinde gratiam Coadjutorià esse nullam. Card. de Luca de benef. d. 78. à n. 6. ubi de consensu Coadjuti incarcerati. Posita enim probatione talis metus & coactionis, resultat nullitas actus, ut patet ex toto ritu. de eo, quod metus causa & specialiter in terminis resignationis cum Paris. de resign. l. 3. q. 1. n. 120. Saxtustenuit Rota apud Card. de Luca. loc. cit. Preceditque id ipsum, etiamsi metus directè ipsi coadjuto seu possessori beneficii incussus non fuerit, sed ejus fratri vel alteri conjuncto, injustè v. g. in carcerato, aut aliter concusso ad hunc effectum extorquendi consensu Card. de Luca. cit. n. 6. qui etiam n. 7. subjungit in specie de incarcerationione, quod, ut actus gestus in carcere dicatur gestus per vim vel metum, duo copulativè requiri. Primum ut incarcerationio sit injusta. Secundò quòd ordinata sit ad actum illum faciendum, sive quòd actus ille tendat ad commodum carcerantis, vel ejus, qui procuravit injustam incarcerationem seu ejus conjunctorum. Pro quo citat Farinac. q. 35. n. 32. & plures Rotae decis. & in terminis beneficiatibus decis. Rotae in Vercellens. Praepositura coram B. b. 132. & 141. p. 10. recent.

*Quaestio 367. An & qualiter consensus Coadjuti praestari possit per procuratorem?*

**R**espondeo praestari posse hunc consensum per procuratorem ad hoc à Coadjuto specialiter constituto dubitari non potest, dum passim in terminis beneficialibus sic praestari possit & solet consensus. v. g. à Patronis permutationi & resignationi. Unde dubium totum remanet in eo, num, & qualiter id fieri posset, mandante seu coadjuto jam mortuo, aut post mandatum ab ipso revocatum. Ad quorum primum dicitur, praestari adhuc validè hunc consensum per procuratorem post mortem mandantis coadjuti, quoties illo adhuc vivente & re integrà supplicatio signata fuisset; cum tunc consensus retrotrahatur ad diem datæ ob praesumptum seu implicitum consensum resultantem ab ipsa porrectione supplicationis ac diligentia, ut illa jam signata daretur. Cardin. de Luc. de benef. d. 42. n. 9. & in terminis resignationis Lotter. l. 2. q. 23. n. 24. ubi sic videmus signatà & datatà supplicatione beneficii posse adhuc praestari consensum per procuratorem cedentis seu resignantis defuncti post ipsam datam. Paris. de resign. l. 9. q. 24. n. 14. citatis quamplurimis juxta sententiam communem. Ad secundum quoque dicitur posse quoque praestari cum effectu hunc consensum per procuratorem post revocationem mandati, quamdiu ista revocatio procuratori vel dataria officialibus non innoverat juxta clarum textum clem. unic. de renunc. Vide, quae hac in parte dicta sunt ac dici solent de praestando contentu resignationi per procuratorem, & huc applica.

*Quaestio 368. An & qualiter Coadjutorià expediri soleat cum antedata de stylo dataria?*

**R**espondeo solet dataria in concessione hujusmodi Coadjutoriarum apponere antedatam seu datam anteriorem. Card. de Luca. loc. cit. n. 6. quemadmodum etiam in provisionibus beneficiarum ad praeveniendum Ordinem adici solet ista antedata. de quo, qualiter id contingat vide Lotter. l. 2. q. 23. à n. 14. Etque hoc ipsum honestum & sustineri potest in eo solum casu, quo procuratores tam Coadjutoris quam Coadjuti in curia praesentes vivunt in bona fide, & in justa credulitate, quòd res adhuc sit integra, opinando, quòd uterque nempe Coadjutor & Coadjutus adhuc vivat. secus enim foret & appositio illa antedata non justificabitur, aut sustinenda est, dum fieret post habitam notitiam rei non amplius integræ cognitam à procuratoribus mortem Coadjuti celebrantibus id ipsum datariam, quia id ipsum esset decipere officiales Datariae, qui non nisi ex praesupposito illo bona fidei dictum stylo ad praxim deducere solent. Card. de Luca. cit. n. 6. sed neque Datario, et si ejus aliam maxima sit in hujusmodi beneficialibus auctoritas, ita ut lacerare queat hujusmodi supplicas, etiam manu Papae signatas re adhuc integræ, hoc est, ante earum registrationem: non tamen conceditur ei aut licet tollere jus quaesitum alteri (cum & ipse Papa per regul. cancel. de jure tertii quaesito non tollendo, profiteatur se id non velle) adeò quo in praesente, dum sciret mortem Coadjuti, ejusque beneficium collatum alteri, apponere in concessione Coadjutorià antedatam, & sic per fictionem illam tollere jus jam quaesitum tali provisione Card. de Luca. loc. cit. n. 2. & seq. Porro stylius ille apponendi antedatam in statu bonae fidei inolevit